



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1842

I. Die Herren von Werle vergleichen sich mit dem Bischof Heinrich zu Havelberg über Freienstein und die Grenzen in der Gegend von Wittstock, im Jahre 1274.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54306)

U r k u n d e n.

I. Die Herren von Werle vergleichen sich mit dem Bischof Heinrich zu Havelberg über Freienstein und die Grenzen in der Gegend von Wittstock, im Jahre 1274.

In nomine domini amen. Nos dei gratia, Nicolaus, Henricus, Johannes, Bernhardus, domini de werle omnibus in perpetuum. Ad noticiam universonum tam presencium quam futurorum volumus pervenire, quod cum Venerabili in cristo patre domino henrico havelbergenfi Episcopo, super impetitionibus ac controversiis omnibus, sibi et ecclesie sue suisque predecessoribus per nos sepius motis, concordavimus in hunc modum: Nos ac heredes nostri dictum venerabilem patrem, henricum havelbergensem Episcopum de cetero non impetemus super bonis Vrigensten, nobis violenter ablati, que ab ipso et ab ecclesia tenuimus, contenti solum eo, quod idem dominus dicit requisitus, nos jam dicta bona ab ecclesia suisque predecessoribus tenuisse, licet sibi ac nobis per violenciam sint ablata. Ceterum bona ejusdem Domini H. infra dossam ac doheram sita, de quibus sibi sepius movimus questionem, non impetemus cum eorum limitibus sic distinctis. Limites ipsius sunt ab eo loco, ubi aqua dicta dohera intrans aquam dossam finem facit, et ab hinc sursum per ascensum eiusdem aque supra et infra, usque ad paludem cannosam, quod vulgo dicitur Rorbruck, nec concessum est nobis, nec domino Episcopo in hoc rivo scilicet dohera molendinum construere vel fundare, et ab hinc, videlicet a fine paludis cannose superius nominata, per medium silve et rivi, qui vulgariter schremme dicitur, usque ad pontem qui Berkenbrugge nominatur, et abhinc usque ad paludem silve Babis, secundum quod de novo Sabellus miles, dictus de Redichtorp, ac Henricus miles de Vlotowe, advocatus in Røbele, inter novum Haslouwe et Randouwe et antiquum Haslouwe limites domini Episcopi cum fossatis et arboribus signaverunt, et ab hinc a palude videlicet Babis, ac ab arbore ibidem signata eque per medium silve Babis usque ad limites agrorum ville Goltbeke limites domini Episcopi se extendunt, Ita tamen quod palua ejusdem silve scilicet Babiz utrisque videlicet civitati Wistok et ville Babitz sint communia, hinc et inde eo cautio, quod utrobique nullum dampnum a pascendis pecoribus utriusque partis segetibus inferatur, et ab inde usque ad arborem inter Goltbek et civitatem Wistok signatam, de hinc usque in dossam, prout Rudolphus miles dictus de Bolzecke, et alii duo sibi adiuncti milites juramento suo confirmantes ibidem inter civitatem Wistok et Goltbeke limites dicti domini Episcopi, rivis, fossatis, arboribus, paludibus distinxerunt, et abhinc medium fluvii, qui dicitur dosfa, per descensum eiusdem, usque ad locum, ubi proprietates ecclesie finem facit, cedit domino Episcopo, aliud medium cedit nobis, molendini vero pacta et census opidi dicti Dossa tam libera quam in pheodata pro medietate sui, domini sunt Episcopi, reliqua vero medietas predictorum Pactorum tam liberorum, quam in pheodatorum, dicti in Dossa molendini erit nostra. Fluvius vero dosfa sursum per ascensum, a dictis Rudolphi in Goltbeke limitibus, usque ad extremitatem piscine molendini Podarse, eiusdem jam sepius nominati domini Episcopi est liberaliter ripa cum utraque. Et sic limites ipsius sunt distincti. Dictus vero iam sepius dominus Episcopus ab impetitionibus terre Penczelin ac decimarum ejusdem, ac decimarum terre dicte Liza, nec non decimarum aliorum terminorum nostrorum infra suam Dioecesin se extendencium, quiescens, de communi consensu sui capituli ipsas cum terra Penczelin, nobis nostrisque heredibus, cum omni jure et actione, uti seu requisitione, cum universonis et singulis ad dominum Episcopum ex ipsis siue pro ipsis decimis pertinentibus, vel quocumque expectantibus, quoquo modo libere et absolute contulit in pheodo perpetuo possidendas, eo solum adjecto, quod hiis, qui a domino Episcopo dictas jam decimas tenuerunt, vel

de jure tenere debuerunt, et maxime filiis Dominorum de Plote, cum ad etatem pervenerunt legitimam, non contradicentes aliquaterus conferamus. Acta sunt hec Robele anno domini M^o. CC^o. LXXIII^o. nonas Junii in die sancti Bonifacii. Testes vero sunt, Cunradus Prepositus Havelbergensis, Johannes et Petrus Capellani Havelb. Episcopi, Stephanus Prepositus in Robele, Godekinus Scriptor noster Prepositus in Gutfrow, Magister Hermannus et Nicolaus frater eius Capellani nostri, Clerici, Dominus Prior in Mirow, Henricus de Vlotowe Advocatus in Robele, Johannes Owman, Ludolfus de Swerin, Henricus et frater ejus de Holodorp, Prizbur et frater eius, Sabellus de Redichsdorp, Sabellus de Plauwe, Yo. Aduocatus in wistok, Hermannus de Plawe, Rodolfus de boyster, Johannes de Stendal, Johannes Gantecow, Rudolphus de Bolzeeke, Henricus de Wodenswege, et alii quam plures clerici et laici fide digni. Et ne hanc ordinationem astutia seu perversitas aliquorum valeat in posterum irritare, presentem paginam super hac ordinatione confectam sigillorum nostri et filiorum nostrorum, Henrici videlicet Johannis et Bernardi appensionibus duximus roborandam. Cuius etiam iam dicte ordinationis privilegium nos habemus a domino Episcopo nobis datum.

Nach dem Havelberger Copialbuch fol. 64, fehlerhaft aus der Süssmischschen Sammlung abgedruckt in Buchholts Geschichte der Churmark. Th. IV., Urk. Anh. S. 191.

II. Erneuerung der Stiftungsurkunde der Stadt Freienstein durch die Markgrafen Otto und Conrad, vom Jahre 1287.

Vniversis presens scriptum cernentibus Consules Civitatis Friensfeyn cupimus esse notum, quod infra inscripta sunt nostri privilegii primi rescripta:

In nomine sancte et individue trinitatis. Otto et Conradus Dei gratia Marchiones Brandenburgenses vniversis hanc literam cernentibus salutem in domino sempiternam. Humane facillime laborantur e memoria actiones, si non scriptis authenticis et linguis testium idoneis reciperent firmamentum; nam fidele testimonium dat scriptura, non enim finit, ea, que sibi commendantur, aliquatenus interire. Nouerint ergo tam presentis quam futuri temporis vniversi, quod cum civitatem nostram Friensfeyn, iterum atque iterum destructam, que sua perdiderat privilegia, refundere et reconstruere intenderemus, maturo virorem nostrorum vsu consilio, ipsi Ciuitati centum mansos cum distinctionibus eorundem, quos in antea possederat, apposimus, quorum quilibet nobis pro annali censu soluet decem et octo solidos denariorum stendaliensium, et ipsius census dimidia pars soluetur in festo sancti Martini nobis, reliqua vero dimidia pars nobis in festo purificationis sancte Marie proximo persoluetur. Insuper duos mansos doti et ecclesie donauimus ciuitatis. Apposimus etiam ipsi ciuitati locum, qui Seiltorft dicitur, cum pratis, pascuis et nemoribus ad orientem descendendo infra dosam et agros ciuitatis et protendendo uersus Redelitz cum vniversis et singulis, que ante destructionem ejusdem Ciuitatis apposita fuerant. Item iacole vero ciuitatis predictae erunt ubilibet in dominio nostro et patrium nostrorum, utpote alij nostri ciues, a teloneo perpetuo liberi et exempti. Jus Brandenburgense obtinebit Ciuitas, hoc solum excepto, quod si aliquis notorie excedens aut obligatus notorie debitis, quod foret notorium consulis aut scabinis aut alijs probis et idoneis viris, et vellet absolui iuramento suo prestito, quod id facere nequeat, nec per hoc absolui: hoc nobiscum incole ciuitatis communiter elegerunt. Addicimus etiam, quod Scultetus erit Judex ciuitatis et tollet de quibuscumque excessibus, siue sint magni siue parvi, unam partem et nos unam; tertiam vero pro emendatione predictae ap-